semel hoc audire disce, ἔχε με παρῃτημένον, cujus neque moris, neque adeo sortis est, ex aula turbâ, literarum officiis ad calculum respondere. Novit hoc summus amicorum Heinsius, caeterique omnes, quibus quando accenseri pateris, necesse est eadem te quâ illi mansuetudine induas, nisi quotidie irasci eligis quotidiè merituro. Epistolam denique sine morâ instante Tabellario in Galliam misi, ut cum ne spatii quidem satis esset, quo membranae insui posset, nuda transfretandum fuerit. quâ cum veritatis quam tuetur imago, sic ut et candidissimae libertatis quâ nunc autor, modestè scilicet, sed cum sale, usus est, nihil ei ne hac in parte quidem detractum puto. Superest expectemus, quibus ille facundis verbis, quorum sanè facultate excellere hominem inter populares Gallos palam est, palinodiam, ut cepit, ornaturus sit. Elegiae meae de re Antiquaria Smithij (non Smetij, ne te fallat) nimius applausor es. Aliud agenti, atque ut in castris solet, librorum ope, in rebus rarò obvijs destituto, brevi furore dictata fuit. Poterat igitur praeclarum opus, quale ab ingenio tuo, et praecoci ad stuporem eruditione speramus, sine hoc naevo prodiisse, nisi te amor mei, quem nondum merui, et nisi fallor ab affectu maximi Heinsii, quem merebor nunquam, aliquid acceptum praejudicii transversum ageret. Plurimam utrique salutem dico, et ut me ames Vir doctissime, sed circumspectius postulo. Hagae Com: v. Cal: Quintil: CIↃIↃCXXXVI

(240).

~~Ignoto.~~

cf. M. Z. Boxhornii Epist. p. 66. Amst. 1662.

Quorum ingratiam, cum id nomine ejus obnixè peterent, delevimus expunximusque frustrà renitentibus nonnullis, qui ad ea quae Balzacus, convicio proxima satis immodestè passim egessisset, nihil salsè nimis regeri posse judicabant a lacessito. 11 Jun: 1636.

(241).

Schurmannae.

Schedas hasce praestantissimae virginum, quibus vim veteri verbo fieri observabis, neque adeò pictoribus atque

Poetis